

Præterea, cambium hujusmodi ubique est in usu nemine reclamante, a Roma usque ad Peruvium: porro talem usum sic ubique receptum improbare non debemus.

Qui vero, artem cambiendi non exercens, potest absque damno vel incommodo pretio æstimabili commutare pecunias pro pecuniis, sive majores pro minutis aut minutas pro majoribus, sive præsentibus pro absentibus, nihil exigere valet; nullum enim tunc habet titulum quo aliquid percipere possit incrementum.

Ut campsor, suam exercendo artem, non peccet, plurimæ requiruntur conditiones, videlicet: 1^o bona fides et ut cambium sit reale; 2^o ut nihil accipiatur præcise pro solutionis dilatione; 3^o ut justum servetur pretium lege, consuetudine vel judicio prudentium legitime determinatum; cum enim officium campсорis sit licitum, eodem modo de illo ratiocinandum est ac de cæteris officiis in quibus lucrum percipitur: at in cæteris officiis totum lucrum consuetudine receptum vel legitime determinatum, et nihil ultra, exigere licet: ergo et in cambio. Conditiones istæ jure naturali sunt præscriptæ: alias insuper Pius V præscripserat bulla *In eam*, an. 1571: sed cum hæc bulla nunquam in Gallia fuerit recepta, campsores nostros non obligat.

Ex principiis pro cambio hic positis judicandum est quid de *Montibus pietatis* et *Lombardis* sentiendum sit: igitur

Quæritur 2^o quid per Montes pietatis sit intelligendum, et utrum sint liciti.

R. 1^o. Montes pietatis sunt notabilis cumulus pecuniæ aliæve rei mutuabilis in gratiam indigentium collectus, ut per mutuuum necessitati eorum subveniatur, nec usuris opprimantur; ideo vocati sunt Montes pietatis.

Montes pietatis conflare possunt vel ex solis elemosynis et piis legatis, et olim dicebantur *Italici*, quia Perusii in Italia initium habuerunt, anno 1450; vel ex pecuniis ad censum acceptis, et *Belgici* appellabantur, quia in Belgio, anno 1600, erecti fuerunt; vel coadunari possunt ex elemosynis, piis legatis, simulque ex pecuniis ad censum ac-

ceptis, et vocantur mixti: tales sunt communiter Montes pietatis nunc existentes.

Mutuuum in montibus istis non datur nisi sub certis conditionibus, nempe 1^o ad tempus determinatum et fixum, v. g., ad sex menses, ad annum, etc.; 2^o pignus æquivalens semper exigitur in assecurationem capitalis; 3^o si tempore præfixo capitale non reddatur, pignus acceptum venditur, ex pretio ejus quod debitum est sumitur, et reliquum mutuuario redditur; 4^o sive capitale tempore dicto reddatur, sive non, semper aliquid supra sortem accipitur, propter diversos sumptus qui necessario faciendi sunt, ad amplam domum conducendam, ad ministros competentes et numero sufficientes habendos, ad annuos census solvendos, etc. Propter ultimam hanc conditionem, acriter plures theologi olim contenderunt Montes pietatis ab usuræ labe non esse immunes: pro quo definiendo

R. 1^o. Montes pietatis, prout eos exposuimus, ab omni usuræ labe sunt immunes; nam 1^o Leo X in conc. Lateran. V eos expresse approbavit; 2^o concil. Trid., sess. 22, cap. 9 de Reform., eosdem inter pia loca recenset: ab omni usuræ labe sunt immunes, si nihil ratione mutui exigatur: atqui nihil ratio mutui exigitur, siquidem, ut supponimus, nihil accipitur ultra id quoad ad impensas necessarias, stricte requiritur: ergo. *Ita nunc omnes theologi, contra Cajetanum et D. Soto.*

Alius etiam in quibusdam locis existit modus indigentibus per mutuuum subveniendi. Opulenti mercatores publicam ex propriis pecuniis aperiebant mensam cum auctoritate principis, et juramento se obstringebant ad mutuuum petentibus tribuendum sub conditionibus pro Montibus pietatis præscriptis: aliquid pro lucro cessante supra sortem percipiebant, sicut Montes pietatis aliquid exigunt pro solutione censuum, quando aliquos solvere debent. Montes hujus generis dicebantur *Lombardi*, quia in Lombardia originem habuere.

Montes isti erant procul dubio liciti, sicut Montes pietatis et propter easdem rationes. An autem aliquis propria auctoritate talem aperire posset mensam? Res non videtur

dubia, quia eadem recurrunt rationes quæ campsonem reddunt licitam, videlicet sumptus et pericula.

Queritur 3º utrum negotiationem chirographorum commercii (des billets de commerce) facere liceat.

Chirographa hujusmodi ubique in plateis commercii, ut aiunt, publice exponuntur et plus minusve infra valorem eorum numericum venduntur, prout plures vel pauciores sunt ementes aut vendentes, prout tempus solutionis magis vel minus distat, prout denique solutio ista plus vel minus certa judicatur; quæstio est utrum liceat hæc chirographa currente pretio emere, et deinde carius ea revendere, si pretium currens augeatur vel tempus solutionis expectare et totum valorem numericum tuta conscientia suscipere.

R. Vel chirographa illa ad extraneam diriguntur plateam commercii (*à une autre place de commerce*), ut dicitur, vel non: si ad extraneam dirigantur plateam commercii, videtur quod ea currenti pretio emere liceat; tunc enim pecunia e loco in locum transferenda est, quidam sumptus idcirco sunt faciendi, quædam pericula incurruntur: atqui hæc pretio sunt æstimabilia, et eorum valor ex communi hominum æstimatione determinatur: ergo prædicta chirographa currente pretio emere licet. Si quis autem illorum solutionem absque periculo, labore aut damno obtinere possit, id per accidens evenit, et lucrum quod facit non ideo respectu ipsius est illicitum; non enim jus habet ad lucrum quia damnum patitur, sed quia talia chirographa periculum sibi adjunctum habent aut laborem vel industriam ex natura sua exigunt, ac proinde sub illo respectu sunt vendibilia: facilitas autem specialis quam aliquis habet ut solutionem obtineat, ad ipsum et non ad venditorem pertinet: ergo.

Superius quidem diximus, p. 494, privatum qui in aliquo casu particulari pecunias præsentis pro absentibus, vel majores pro minutis absque ullo incommodo commutare potest, nihil exigere debere; in cambio enim præcipuus ad percipiendum lucrum titulus ex parte campsonis desumitur, quia scilicet artem suam gratis exercere non potest

quin detrimentum patiat; privatus autem in suppositione nostra talem non habet titulum. Sed ubi de chirographis publice vendendis et ad extraneam urbem directis agitur, titulus ad lucrum percipiendum ex parte ipsorum chirographorum desumitur, nempe ex eo quod labor et pericula eis annectantur: porro hæc rem vendendam afficiunt juxta communem hominum æstimationem, atque efficiunt ut in se minoris sit pretii: ergo.

Si vero illa chirographa ad extraneam plateam non dirigantur, sed in eadem urbe solvi debeant, vel eorum solutio est incerta, periculosa aut difficilis, vel est omnino tuta et facilis. Si prius ea infra valorem numericum emere licet; nam incertitudo, periculum et difficultas sunt aliquid pretio æstimabile: pro illis igitur pacisci licet secundum communem hominum æstimationem: porro communis hominum æstimatio in eo casu manifestatur per currens pretium chirographorum: ergo.

Si autem solutio prædictorum chirographorum sit certa aut facilis, major est difficultas. Ea tamen infra valorem numericum emere non licet, secluso speciali titulo, si publice non exponantur vendenda; nam talis emptio nihil aliud esset quam mutuuum cum lucro, ut attente consideranti evidenter patebit, v. g.: pecunia indiges, chirographum 1,000 fr. ad sex menses certo et facile solvendum possides, illud mihi transfers pro 950 fr. quos hic et nunc tibi solvo: itaque 1,000 fr. pro 950 fr. post sex menses certo accipiam; nonne contractus iste verum est mutuuum? ergo.

At si hæc chirographa publice exponantur vendenda, duplex est sententia. Multi contendunt quod non liceat ea minori pretio quam in se valent emere; qui enim ea publice exponunt vendenda habendi sunt tanquam indigentes, qui mutuuum publice petunt et usuram offerunt: atqui non licet mutuuum cum pacto lucri præstare, etiam quando lucrum istud publice offertur: ergo.

Alii vero dicunt negotiationem hujusmodi chirographorum per se licitam esse; nam, inquiunt, per se licita est, si chirographa sic publice exposita ut merces haberi de-

beant : atqui ut merces haberi debent; ita enim ab omnibus et vendentibus et ementibus iudicantur, et eorum pretium crescit aut decrescit secundum varias circumstantias. Præterea, negotiatio hæc licita est si nulla injuria vendentibus inferatur : atqui nulla injuria vendentibus inferitur : statim enim atque sua chirographa publice sic exposuerunt, rationabiliter sperare non possunt aliquem ea supra currens pretium accepturum esse : ergo ipsorum interest quod pretium currens augeatur : porro eo magis augebitur quo plures erunt ementes : ergo qui talia emunt chirographa, nullam inferunt vendentibus injuriam, sed e contra favorem illis præstant. Ergo.

Hæc opinio sat probabilis nobis videtur, ut eam sequentes inquietare nolumus.

Quæritur 4^o quid sentiendum sit de iis qui temporurbationis Gallicæ chartas nummarias (*papier-monnaie*) emerunt pro pecuniis et eas vendiderunt, atque lucrum sic reportaverunt.

R. Si chartas emerint ut debita legitime contracta extinguerent, videndum est quod diximus in Tractatu de Restitutione, p. 90.

Si vero simpliciter chartas istas currente pretio emerint, et easdem pariter currente pretio vendiderint ac lucrum fecerint, lucrum istud non est injustum; nam chartæ illæ erant depretiatae : valor earum identidem augebatur, et postea magis ac magis minuebatur; itaque haberi debebant ut merces ordinariæ, saltem ut chirographa periculosa in platea publice exposita : negotiatio igitur de illis in bona fide facta erat licita.

ARTICULUS TERTIUS.

DE SOCIETATE ET TRIPLICI CONTRACTU.

Cum plures contractus contractui societatis adjici possint, famosissima de triplici contractu quæstio apud theologos celebratur ubi de societate tractant : igitur hunc articulum in duplicem dividemus paragraphum : primus erit de ipsa societate, et secundus de triplici contractu.

§ I.— De societate.

Societas est contractus quo duæ vel plures personæ conveniunt de re aliqua in communi ponenda ad honestum faciendum lucrum, secundum justam proportionem inter eos dividendum. *Cod. civ. art. 1832.*

Dicitur 1^o *contractus*; est enim contractus synallagmaticus et sollemnis; sola partium conventionione perficitur; sed probatio ejus in foro externo non admittitur, nisi per scriptum, si centum et quinquaginta fr. excedat. *Art. 1834.*

Dicitur 2^o *quo duæ vel plures personæ*, quia societas duas saltem exigit personas; sed multo plures esse possunt.

Dicitur 3^o *conveniunt*; nam si una persona aliquid ad societatem contribueret et absque ulla conventionione, ut socius haberi non posset; ad summum, laboris vel industriæ suæ pretium exigere valeret.

Dicitur 4^o *de re aliqua in communi ponenda*; id est de re pretio æstimabili, qualia sunt pecunia, cujusdam generis merces, instrumenta, labor, industria, etc.; hæc enim ad societatem constituendam suo modo concurrere possunt.

Dicitur 5^o *ad honestum faciendum lucrum*; finis enim societatis commercii, de qua hic agitur, est aliquod faciendi lucrum : at lucrum istud necessario debet esse honestum, alioquin societas esset nulla, *art. 1833*; nullum enim potest esse vinculum proprie dictum ad aliquod malum.

Dicitur 6^o *secundum justam proportionem dividendum*; omnes enim personæ quæ societatem inter se constituunt, jus habent ad lucrum quod inde provenit, sed non habent jus æquale, nisi ex hypothesis quod æqualiter ad societatem concurrant; si una plus contribuat et altera minus, ut sæpe contingit, lucrum inter se juxta proportionem geometricam in bona fide dividere debent. Eadem proportionem damnum, si quod accidat, in omnes socios refundi debet. Si vero res ipsa in societatem adducta pereat, ei a quem pertinet perire debet, seclusa alia speciali et legitima conventionione, nam res perit domino.

Societas dividitur in universalem et particularem. Societas *universalis* duplex est: alia quæ omnia bona præsentia complectitur, sive mobilia, sive immobilia, et beneficia ex iis provenientia: alia etiam comprehendere potest lucra futura, non vero bona per hæreditatem, legatum aut donationem adventura, nisi quoad eorum fructus; omnis stipulatio contraria est nulla, excepto quod diximus de sponsis ex art. 1084. Vide *Cod. civ. art. 1836 et 1837*.

Altera societas universalis, quæ dicitur societas lucrorum, habet pro objecto omnia lucra quæ contrahentes acquisituri sunt per societatis decursum, sive industria propria aut communi, sive quovis alio titulo; hæc societas continet necessario cuncta bona mobilia et usumfructum bonorum immobilium quæ partes possident tempore quo inicitur conventio. *Art. 1838*. Talis semper censetur quælibet societas universalis, nisi contrarium clare exprimitur. *Art. 1839*.

Societas universalis aliquo modo naturæ donationis participat; difficile est enim unam partem non plus conferre ad lucrum quam alteram; ideo prohibitum fuit ne hujusmodi societas inter eos iniretur, qui ad donandum et accipiendum sunt erga se invicem inhabiles, v. g., inter mulierem et filium ejus naturalem, inter patrem et unum ex liberis ejus, vel etiam inter patrem et extraneum; quia pater-familias de omnibus bonis suis titulo gratuito erga extraneum disponere non potest. *Art. 1840*.

Societas *particularis* est illa quæ habet pro objecto res aliquas determinatas, vel rerum usum, vel fructus percipiendos, *Art. 5845*. Plurimæ sunt regulæ pro societate ista in Codice civili statutæ; cum fere omnes ad forum externum respiciant, eas hic prætermitemus.

Pro foro interno autem requiritur et sufficit ut æqualitas inter socios juxta viri prudentis æstimationem servetur, et omnes conditiones, de quibus convenerunt, in bona fide ex utraque parte adimpleantur.

Certissimum est societatem, prout supra fuit explicata, esse licitam. Hujusmodi enim societas est in usu apud omnes gentes, et neque auctoritas civilis, neque aucto-

ritas ecclesiastica eam unquam reprobavit. Ad bonum publicum valde utilis est; nam multa sunt opera multaque negotiationes maximi momenti, quæ suscipi vel ad felicem exitum deduci non possunt, nisi ope talium societatum. Ergo.

Quinque tamen communiter assignantur conditiones necessario servandæ; scilicet, 1° ut negotiatio ad quam datur pecunia sit realis et ad lucrandum serio sit formata, alioquin esset mutuum palliatum; 2° ut hæc negotiatio sit tam in se quam in circumstantiis licita; 3° ut singuli socii aliquid utile ad attingendum scopum conferant; 4° ut omnes, secundum justam proportionem, idem habeant jus ad lucrum et debitum ad onera; 5° ut ita ineat societas, quod ante tempus rationabile, aut tempus determinatum socii repetere non valeant ea quæ contulerunt: id enim exigunt natura et finis societatis, salvo tamen art. 1869.

Societas legitime contracta sequentibus modis extinguitur: 1° ipso adveniente tempore determinato; 2° per negotiationis consummationem et per destructionem rei quæ est objectum aut materia societatis, *art. 1865*; 3° per mortem naturalem aut civilem unius sociorum; tunc societas erga omnes dissolvitur, nisi in principio conventum fuerit quod in hoc casu societas inter cæteros socios et hæredes defuncti permaneret, vel inter cæteros socios duntaxat, et tunc hæredes defuncti statim e societate retrahent ea quæ ad illum in instanti mortis pertinebant, *art. 1868*; in hoc puncto jus novum veteri derogat: nam in jure veteri societas necessario per mortem unius sociorum extinguetur; 4° si unius socius interdicatur, vel debitis solvendis impar fiat et declaretur, societas dissolvitur; 5° potest etiam dissolvi ad nutum unius aut plurimorum sociorum, modo hanc dissolutionem in bona fide et tempestive petant suamque voluntatem aliis omnibus sociis manifestent. *Art. 1869*. Mala fide petere censetur socius qui ideo renuntiat, ut solus habeat lucrum quod omnibus futurum erat commune; vel intempestive renuntiat, quando scilicet

interest societatis, attento negotiorum statu, quod dissolutio non statim locum habeat.

Attamen si societas ad tempus determinatum condita esset, tunc illius dissolutio ante hoc tempus exigi non posset, nisi gravis supervenisset mutatio, v. g., continua unius socii infirmitas, vel mala illius agendi ratio vel infidelitas, etc. *Art. 1871.*

Præcipuæ sociorum obligationes sunt, 1^o ut unusquisque societati assecuret rem promissam, si sit corpus determinatum: si agatur de pecunia quæ non solvatur, debentur *interesse*, alioquin læderetur æqualitas; 2^o ut res societatis gerat cum ea diligentia quam ad res proprias adhiberet. *Art. 1846 et 1850.* Hinc in Gallia socius tenetur tantum, specialibus seclusis conventionibus, de culpa lata et de dolo. Sedulo servandæ sunt regulæ in Codice civili statutæ.

Ea solum dividenda sunt lucra, quæ e societate immediate oriuntur, non vero ea quæ ex alia parte sociis obvenire possunt.

Ubi nulla existit specialis conventio circa lucrorum divisionem, partitio fieri debet juxta uniuscujusque participationem. Si, e contra, inita fuerit conventio, ei standum est, etsi primum partitio videatur inæqualis, salvis tamen exceptionibus in art. 1855 positis.

Qui solam contulit industriam, tantum censetur dedisse quantum qui minus dedit, et non reprobatur conventio vi cuius de damno non tenetur, quia ea conventionem non obstante, incurrit periculum amittendi fructum suæ industriæ.

Quandonam præcise res in societatem collata periculo sit ipsius societatis, vel adhuc periculo conferentis, statuitur in Cod. civ. art. 1846, 1850 et 1851.

§ II.— De triplici contractu.

Duplex contractus societati adjici potest, unus scilicet assecurationis capitalis et alter assecurationis lucri; seu

venditio lucri majoris ex societate sperati pro minori lucro, sed certo et assecurato. Sic illi contractus institui possunt: Petrus 50,000 fr. ponit in societate cum Paulo, juxta conditiones requisitas; ex societate ista 15 circiter pro 100 sperat, at timens ne sors sua pereat, secundum init contractum cum eodem Paulo et 5 pro 100 illi promittit ut assecurationem sortis in se suscipiat. Hinc si lucretur 15 pro 100, 50 tantum percipiet; si lucretur 10, 5 solummodo; si nihil lucretur, 5 ex propriis solvet Paulo: igitur, societate inita, et contractu assecurationis ipsi superaddito, potest adhuc Petrus plus minusve lucrari, vel nihil lucrari. Tunc tertium eidem Paulo proponit contractum quo illi lucrum majus incertum pro minori vendit, v. g., sperat adhuc 10 pro 100 circiter, sed modo plus, modo minus percipiet, modo nihil; convenit cum Paulo de quinque certis sibi quotannis solvendis, et quidquid supererit ad Paulum pertinebit pro utroque contractu emptionis lucri incerti et assecurationis capitalis. Petrus itaque, quidquid accidat, 5 pro 100 certo percepturus est.

Tres illi contractus, societatis, assecurationis sortis et venditionis majoris lucri incerti pro minori lucro certo, notissimi sunt in scholis et vocantur gallice, *les trois contrats*. Eos excogitasse dicitur *Martinus Navarrus*, celeberrimus juris canonici professor, ut placeret Lusitanæ regi, qui vehementer quærebat medium quo subditi sui ad mutuum mercatoribus præbendum allicerentur.

Contractus illi fieri possunt cum diversis personis vel cum eadem persona; simultaneæ vel successive.

Si fiant cum diversis personis, v. g.: Petrus legitimam init societatem cum Paulo; deinde contractum assecurationis capitalis facit cum Jacobo; postea lucrum incertum vendit Philippo: tunc contractus isti sunt liciti. *Ita omnes et ratio patet.*

Alii vero sunt modi in quibus majores occurrunt difficultates pro quibus solvendis sequentes statuendæ sunt propositiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Duos ex tribus prædictis contractibus simul cum eadem persona inire licet, nempe societatem et venditionem lucri, sorte non assecurata, vel societatem et assecurationem sortis, lucro non vendito.

Prob. Duplicem hunc contractum sic explicatum cum eadem persona simul inire licet, si in utroque casu societas non destruat: atqui societas in utroque casu non destruitur. Non in 1^o; ubi enim sors non assecuratur, revera manet in dominio tribuentis, ipsi crescit, decrescit aut perit: ergo ille habet jus ad lucrum quod inde proveniet: porro jus istud secundum leges æquitatis, vendere potest, et illud vendendo, periculum sortis non tollit: ergo nec societatem destruit. In 2^o casu scilicet quando sors assecuratur, non vendito lucro, societas pariter non destruitur; nam societas non destruitur, si assecurans dominium pecuniæ non habeat: atqui dominium pecuniæ non habet; non potest enim eam a negotiatione retrahere, nec ad aliam negotiationem, aut alio modo applicare, quia socius habet jus ad lucrum inde proventurum. Nec obstat art. 1855, ex quo necesse est ut socii damna et lucra inter se dividant; nam pecunia pro assecuratione sortis data, pro periculo sortis computatur, et commune remanet periculum pro lucro sperato. Ergo 2^o. Ita præter eos qui tres approbant contractus, *Sylvius*, q. 78, art. 2; *Collet*, *Billuart*, et communius alii, contra *Coll. Paris.*, t. 2, et plures alios.

PROPOSITIO SECUNDA.

Legitima societate semel inita, duos contractus, assecurationis capitalis et venditionis lucri, cum eodem tertio inire licet.

Prob. Qui legitimam inicit societatem jus habet ad fructus ex illa proventuros, et jus istud majoris vel minoris est valoris secundum circumstantias et prout sors magis

vel minus segura est: atqui jus illud alteri cedere potest; unusquisque enim quod suum est alteri pro libitu cedere potest, nisi quædam obstent leges: non tenetur autem jus istud gratis concedere, ut evidens est: ergo illud vendere potest etiam cum stipulatione assecurationis capitalis, modo sufficiens habeatur ratio hujus oneris in determinando pretio. Ita fere omnes contra *Genet*, auctorem *Moralis Gratianopolitanæ*, t. 1, tract. 4, c. 14, d. 13, et *Pontas*, v^o *Société*, cas. 5.

PROPOSITIO TERTIA.

Probabile videtur tres contractus cum eadem persona successive iniri posse, si bona sit fides.

Prob. Tres contractus successive cum eadem persona inire, nihil aliud est quam duplicem contractum assecurationis sortis et venditionis lucri, societati realiter existenti adjicere: atqui duplicem hunc contractum societati realiter existenti adjicere licet; qui enim legitimam inicit societatem, duplicem prædictum contractum cum altera persona inire potest, ut probavimus: atqui pariter illum cum eadem persona seu cum suo consociato inire potest; nam si cum eadem persona illum inire non posset, certe quia societas respectu ipsius destruitur illique renuntiat: atqui pariter societati renuntiat quando duplicem contractum assecurationis sortis et venditionis lucri cum altera inicit persona, illique jus suum cedit, et tamen pretium istius juris legitime exigit: ergo a pari si renuntiet societati in gratiam consociati, illique jus suum cedat, legitimum juris istius pretium exigere potest; non magis enim tenetur illud gratis consociato concedere quam extraneo. Ergo. Hæc propositio, quæ a plerisque theologis, etiam iis qui tres contractus simul cum eadem persona initos condemnant, propugnatur, est contra *Collet*, *Billuart* et plures alios.

Diximus si bona sit fides; id est, si pecuniam conferens minime de aliis contractibus, societatem ineundo, cogitet, aut eos saltem expresse sibi non proponat; si enim, socie-

tatem ineundo, exigeret a consociato ut promitteret se deinde sortem et lucrum assecuraturum, vel ad duplicem hunc contractum pervenire expresse sibi proponeret, non nisi illusoria ex parte ipsius esset societas, nullum jus proprie dictum acquireret: ergo pro illo pacisci non posset.

PROPOSITIO QUARTA.

Tres contractus cum eadem persona simul initi ut illiciti et usurarii haberi debent.

Hæc propositio est contra *Navarrum*, *Lessium*, l. 2, c. 25, n. 23; *de Lugo*, disp. 30, n. 40; *Layman*, l. 3, tract. 4, c. 18, n. 11; *S. Ligorium*, l. 3, n. 908, et multos alios.

Prob. Illi contractus sunt illiciti et usurarii in quibus lucrum ex mutuo ratione mutui percipitur: at in tribus contractibus cum eadem persona simul initis lucrum ex mutuo ratione mutui percipitur; lucrum enim ex mutuo ratione mutui percipitur, si societas in illo casu nihil aliud sit quam mutuum proprie dictum: atqui societas in illo casu, etc.; qui enim mille nummos, v. g., in societatem ponit, et simul exigit ut sors sibi assecuratur atque lucrum certum sibi promittatur, nihil plus facit sub illo respectu, quam qui mille nummos simpliciter in mutuum præstat: ergo societas in illo casu nihil aliud est quam mutuum proprie dictum. Ergo.

Et vero, totum inter societatem et mutuum discrimen in eo consistit, quod mutuans nullum incurrat periculum nec pecuniæ dominium retineat; unde nullum habet jus ad lucrum; e contra, socius ideo habet jus ad lucrum ex societate proveniens, quia dominium pecuniæ retinet sicque periculum incurrit: at positis tribus contractibus, nullum incurrit periculum, nec dominium pecuniæ retinet: non incurrit periculum, ut supponitur, siquidem sors assecuratur; dominium pecuniæ non retinet; ipsi enim amplius non crescit, nec decrescit, nec perit, sed alteri contrahenti qui eam pro nutu ad quemlibet voluerit usum adhibere potest: quidquid iste agat, tribuens

pecuniam conqueri non potest, modo lucrum sibi promissum solvatur; quidquid accadat, semper lucrum percipiet; et capitale postea nihilominus obtinebit: ergo inter triplicem hunc contractum et mutuum nullum est discrimen.

Præterea, ut quis lucrum incertum pro certo vendere possit, jus ad illud non illusorium, sed reale et pretio æstimabile habere debet: sed qui triplicem simul inicit contractum cum eadem persona, nondum habet verum jus ad lucrum; jus enim ad lucrum in illo casu ex societate proveniret, atqui nondum existit societas, quando pro lucro paciscitur: imo existere non potest, quando simul assecurantur et capitale et lucrum; ex definitione quippe societatis, necesse est ut aliquid in communi ponatur: atqui tunc nihil est in communi. Lex ipsa, *art. 1855*, expresse declarat conventionem qua unus socius omnia perciperet lucra vel nullum pro re sua periculum subiret, fore nullam: ergo revera societas cum duplici contractu assecuracionis et venditionis lucri existere non potest. Ergo.

Insuper, admitti non potest illa doctrina quæ omnibus usuris saltem in mutuis commercii, ut aiunt, latam aperiret januam: at doctrina quæ tenet tres contractus cum eadem persona simul initos esse licitos, omnibus usuris, saltem in mutuis commercii, latam aperiret januam; quisquis enim mutuum præstat negotiatoribus, semper lucrum exigere posset, dummodo intentionem haberet non mutuandi, sed triplicem ineundi contractum; nam, juxta illius doctrinæ patronos, non necesse est ut tres contractus fiant separatim expresse aut formaliter, sed sufficit ut manifestetur intentio ex alterius negotiatione lucrandi. Ergo.

Denique, acriter hac de re disputantibus *Dominico Soto* et *Martino Navarro*, summus Pontifex Sixtus V, ad quem *Navarrus* fiducialiter appellaverat, celebrem edidit bullam *Detestabilis avaritiæ ingluviæ*, anno 1586, qua tres famosos contractus reprobavit, sicque victor evasit *Soto*.

Attamen fatendum est hanc bullam non absolute controversiam diremisisse; nam multi theologi catholici illam

alio sensu explicantes, nihilominus postea tres contractus propugnauerunt; contendunt enim Sixtum V tres contractus propter periculum usuræ reprobasse, non autem ut essentialiter malos eos damnasse. Ipse *Benedictus XIV*, in celebri opere jam citato, de Synodo diœcesana, lib. 10, c. 7, n. 6, post recensita momenta et allatas pro utraque opinione rationes, sic loquitur: « Neque Apostolica sedes » priori opinioni » (quæ affirmat tres contractus esse licitos), « etsi minus congruere videatur Sixtinæ constitutioni, ullam hactenus censuram inussit, a qua proinde » eidem infligenda debet episcopus abstinere. » Nullam ergo temeritatis notam adversariis infligere debemus: verum ipsi conveniunt suam opinionem in praxi esse periculosam et usuræ valde suspectam, et *Benedictus XIV*, in loco citato, ait: « Ad usum vero quod attinet, tuto poterit » (episcopus) contractum trinum, quem etiam ejusdem » patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, » atque ab eo ineundo suos subditos dehortari, etc. » Ergo firmiter cum *Soto*, lib. 6, q. 6, art. 2; *Sylvio*, q. 78, art. 2, et omnibus theologis nostris, concludere debemus tres illos contractus ut illicitos et usurarios esse habendos.

Si rationes et auctoritates ab adversariis allegatæ, quas videre est apud *S. Ligorium*, speculative tantum attendantur, fatemur eorum sententiam improbabilem non videri. Fundamentalibus enim eorum ratio est quod tres contractus seorsim sumpti sint liciti: si autem sint in se liciti, cur eorum complexio illegitima esset, modo ineantur sine intentione usuras palliandi et sub conditione negotiandi cum pecunia sic collata? Sed quæstione in praxi spectata, jam redeunt incommoda superius exhibita, quod ex solutione objectionum magis adhuc patebit.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1º. Vera societas existere potest cum assecuratione sortis et assecuratione lucri sperati: ergo triplicem inire licet contractum cum eadem persona.

R. Nego ant. Etenim duplici illa assecuratione posita,

jam nullum est commune periculum inter socios. Ergo illusoria est societas.

Obj. 2º. Assecurans de re in societate posita disponere non potest juxta suum libitum, sed eam in commercium impendere debet. Ergo.

R. Nego ant. Assecurati minime interest quod assecurans pecuniam sibi traditam tali vel tali modo impendat; unum intendit, unum curabit, scilicet quod lucrum sibi promissum et assecuratum solvatur, sive pecunia in commercio, sive alio modo impendatur. Ergo realiter et *in praxi*, triplex contractus nihil aliud est quam usura palliata.

Obj. 3º. Tres contractus cum diversis personis sunt liciti: ergo et cum eadem persona.

R. Nego consequ. Societas enim, ut probavimus, per tres contractus cum diversis personis non destruitur; et contra necessario dissolvitur et, saltem de facto, in mutuum convertitur, quando tres contractus cum eadem persona simul efficiuntur. Ergo.

Inst. Justitia contractus non consistit in respectu ad personas, sed in æqualitate rei ad rem: ergo si tres contractus cum diversis personis sint liciti, debent pariter esse liciti cum eadem persona.

R. Nego adhuc consequent., propter eandem rationem; res enim non est eadem quando tres contractus cum diversis personis aut cum eadem persona ineuntur, siquidem in priori casu vera existit societas, in posteriori vero nihil aliud est quam mutuum, ut ostendimus: quamvis ergo justitia contractus in æqualitate rei ad rem consistat, non sequitur tres contractus cum eadem persona initos esse licitos, quia licet eosdem cum diversis personis inire, sicque evertitur adversariorum fundamentum quo principaliter nituntur.

Obj. 4º. Assecurationem rei locatæ stipulari licet, et tamen pretium locationis determinatum exigere: ergo *a pari*, etc.

R. Nego consequentiam et paritatem. Ratio disparitatis est quod assecuratio rei locatæ locationem non destruat;

non obstante enim assecuratione, res ad locatarium non pertinet, de illa pro nutu disponere non potest, sed eandem in se reddere tenetur; contra vero, socius qui capitale et lucrum certum respectu alterius assecuravit, de capitali pro nutu disponere potest, dummodo illud in specie, tempore convenienti, reddat, et promissum lucrum solvat. Ergo. Idem dicendum est quando assecurantur merces a transvectore, depositum a depositario, commodatum a commodatario, in his enim casibus res assecurata non transit in dominium assecurantis, siquidem eadem individualiter reddere tenetur.

FINIS TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

TRACTATUS
DE CENSURIS.

Vox *censura* , a verbo *censeo* derivata, apud veteres Romanos erat usitata, et significabat sententiam censoris mores corrigentis: quem enim censor in censu seu in descriptione senatorum, equitum, etc., non computabat, is infamia erat notatus, et ex ordine suo ejiciebatur. Hanc vocem usurpavit Ecclesia ut exprimeret pœnam qua filios suos delinquentes corrigere niteretur. Unde censura ecclesiastica communiter definitur: *Pœna spiritualis et medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti et contumaci auferitur usus quorundam bonorum spiritualium.*

Dicitur 1^o *pœna spiritualis* , non quod Ecclesia pœnas tantum spirituales, animum affligentes, decernere possit, ut *Van-Espen, de Marca* aliique plures contendunt; communius enim docetur eam habere potestatem infligendi pœnas quæ animum et corpus simul attingant, puta, jejunia, multam pecuniariam, flagella, carcerem, exsilium, etc., ut patet exemplo plurimorum conciliorum a *Devoti* relatorum, t. 4. Itaque Ecclesia, ut perfecta respublica, regit animum et corpus, et duplicis generis pœnas, spirituales videlicet et corporales, statuere potest. Censura pertinet ad ordinem spiritualem, licet quandoque effectus temporales inducat, v. g., privationem fructuum beneficii; quia primarius ejus finis semper est exclusio a participatione bonorum spiritualium, ut explicabimus infra.

Dicitur 2^o *medicinalis* ; duplicis enim generis distinguuntur pœnæ spirituales, ratione finis; scilicet, *vindictivæ* , quæ ad vindictam delinquentis tendunt et ad procurandum bonum publicum præcipue referuntur; et *medicinales* , quarum finis principalis est correctio peccatoris. Ad hoc genus pertinent omnes et solæ censuræ proprie dictæ.